

CAPUT II.

DE ANGELORUM NATURA ET FACULTATIBUS.

ARTICULUS I.

DE ANGELORUM NATURA.

Statuta existentia Angelorum, ad eorum naturam penitius rimandam accedimus; extant enim adhuc impraesentiarum nonnulli qui contendunt Angelos substantialiter coniungi materiae cuidam levi, aëreae, invisibili, impalpabili.

THESIS. — *Angelus est substantia mere spiritualis.*

Prob. I. — Ex hoc quod si aliter se res haberet, Angeli non essent illae intelligentiae purae, quas perfectio rerum universitatis et finis creationis exquirunt (Cfr. duo prima argumenta thesis praecedentis).

II. — Ex hoc quod, omnibus consentientibus, Angeli sunt naturae longe praestantiores animis humanis. Sed id a vero alienum foret, si Angeli substantialiter unirentur materiae.

III. — Ex hoc quod summa perspicacia daemonum in intelligendo et opera prodigiosa, quae illis tribuuntur, arguunt ipsos nulli materiae coniunctos esse.

IV. — Ex auctoritate Scripturae, Patrum fere omnium, theologorum ac philosophorum, praesertim recentiorum.

Coroll. I. — Angeli, cum sint puri spiritus, substantiae per se completae independenter a materia, si huic coniunguntur, non substantialiter, sed accidentaliter tantum coniunguntur; et ideo nonnisi apparenter explere possunt operationes vitae sensitivae ac vegetativae.

Coroll. II. — Sicut anima, quia simplex et spiritualis, invenitur tota simul ubicumque est, sic etiam Angelus. Sed anima, cum ex natura sua ordinetur ad informationem

corporis, nonnisi in ipso inveniri potest (Cfr. pag. 286); Angelus autem, cum sit spiritus purus, inveniri potest in pluribus corporibus ac proinde in pluribus locis, iuxta maiorem vel minorem eius perfectionem (1).

Coroll. III. — Nulli dubium esse potest Angelos, non per generationem, sed per creationem in existentiam prodiisse, atque immortales esse. Si haec omnia recipiuntur ut vera de animis humanis, qui, licet spirituales, sunt tamen coniuncti materiae, a fortiori recipi debent ut vera de Angelis, qui nullae omnino materiae coniunguntur.

Obi. I. — Quamvis nulla sit Ecclesiae sollemnis definitio statuens ignem inferni esse realem ac materiale, communis tamen Christi fidelium consensus satis ostendit id esse omnino retinendum. Sed ens materiale nequit agere in spiritus.

R. — *Conc. mai.*, sed *dist. min. et nego cons.* Ens materiale nequit agere in spiritus virtute sua naturali, *conc.*; virtute divina, *nego.* Praeterea animadvertimus theologos, circa modum quo daemones animaeque damnatorum torquentur igne inferni, diversissimas proferre sententias, quin tamen unquam ambigant de spiritualitate eorum.

Obi. II. — Si praesentia Angelorum in loco proportionalis est eorum virtuti et perfectioni, iam illis impossibile erit in locis pluribus ac dissitis inveniri.

R. — Si agitur de locis occupandis successive, *nego*, siquidem Angelus sua natura non alligatur alicui loco, sed liber est applicandi suam virtutem modo uno, modo altero loco, ut sic pluribus in locis etiam dissitis inveniatur. Si

(1) Ratio, qua res aliqua fit praesens loco, diversa est pro diversa eius natura. Itaque sicut corpus fit praesens loco per quantitatem dimensionem, seu extensionem, qua commensurat locum, anima vero per informationem corporis locati; sic purus spiritus, Angelus, fit praesens loco per operationem, h. e. per applicationem suae virtutis in corpora locata. Sed virtus Angelorum necessario proportionatur eorum perfectioni. Hinc quilibet Angelus habet definitum aliquod spatium, in quo potest naturaliter simul esse et operari, ita ut non possit simul esse et operari in spatio maiori. Et hoc vocatur totalis vel adaequatus locus Angeli, estque unius maior, alterius minor, prout sunt Angeli superiores vel inferiores.

autem agitur de locis occupandis simultanee, *distinguo* loca inadaequata, in quibus angelus applicatur tantum parte virtutis suae, a locis adaequatis, in quibus Angelus applicatur tota sua virtute. De locis inadaequatis assertio adversarii falsa est, nam si virtus Angeli non applicatur tota in uno loco, applicari potest etiam in aliis locis secundum magnitudinem suam. Contra, de locis adaequatis eadem assertio vera et clara apparet, nam si Angelus applicat totam suam virtutem in uno loco, nequit amplius eam applicare in alio loco. Et haec ratio, ut notat Suarez, non solum probat non posse Angelum naturaliter simul esse in pluribus locis adaequatis; sed etiam probat non posse esse simul in uno loco inadaequato, et in alio adaequato, sive propinquo, sive distante (*De Angelis*, lib. IV, c. X).

ARTICULUS II.

DE ANGELORUM FACULTATIBUS.

Sicut certum est Angelos existere, ita pariter certum est ipsos pollere virtute agendi in corporibus, vel ea movendo, vel alios effectus in ipsis producendo. Virtus eiusmodi, iuxta D. Thomam aliosque, distinguitur ab intellectu et voluntate solum ratione; verum, iuxta Suarez, Caietanum..., distinguitur realiter. Quidquid sit de hac distinctione, nobis sat est eam meminisse. Cum autem de effectibus praedictae Angelorum virtutis nihil scire possimus, praeter ea quae observatione testantur quaeque iam in primo capite pertingimus, statim ultro progredimur ad recognitionem intellectus et voluntatis.

§ I. DE INTELLECTU.

Angeli, quippe sunt puri spiritus, donari debent facultate intellectiva excedente intellectum humanum. Hoc idem probant actiones quae illis tribuuntur.

Obiectum adaequatum et obiectum proportionatum. — Intellectus humanus, quia inest animae poscenti conjunctionem cum materia, habet pro obiecto sibi propor-

tionato immaterialia per abstractionem, essentias rerum materialium (Cfr. pag. 223-4): ex adverso, intellectus angelicus, quia inest substantiae pure spirituali, habet pro obiecto sibi proportionato res immateriales per se, sed finitas et a materia separatas, h. e. essentias Angelorum, et omnia quae ab ipsis profluunt. Solus Deus, licet per se immaterialis, nequit evadere obiectum proportionatum intellectus angelici.

Quomodo Angelus intelligat seipsum aliaque a se distincta. — Ad intellectionem cuiusvis rei oportet: — 1) ut ipsa intelligenti illabatur, i. e. fiat intime praesens intellectui, et sic eum imprimat, nimirum determinet ad eliciendum conceptum, verbum, ideam; — 2) ut immunis sit a materia, vel per se, vel saltem per abstractionem; nihil enim materiale ingredi potest in immateriale. Nunc essentia uniuscuiusque Angeli est prorsus immunis a materia, atque insuper est inseparabiliter praesens suo intellectui. Ergo unusquisque Angelus intelligit seipsum per seipsum, h. e. per essentiam suam. — Restat quaestio de modo quo unusquisque Angelus intelligit res a se distinctas, sive materiales sive immateriales. Age itaque: de rebus materialibus, nemo inficiatur ipsas non nisi per species intelligibiles (1) posse fieri praesentes intellectui angelico, illumque imprimere; de naturis vero immaterialibus et creatis, sunt qui affirmant ipsas posse immediate fieri praesentes intellectui angelico, sed communissima sententia tenet id non nisi Deo convenire. « Intelligibile est intra intellectum, quantum ad id quo intelligitur. Nulla autem substantia illabatur menti,

(1) Hic praestat denuo in memoriam revocare distinctionem quae a Scholasticis iure ac merito fieri solet, inter similitudinem seu speciem intellectualem *expressam*, et similitudinem seu speciem intellectualem *impressam*. Prima constituit terminum intellectionis et vulgo denominatur conceptus, verbum mentale, idea; altera constituit principium intellectionis, ipsius est enim intellectum determinare ad intelligendum. Illa semper habetur in omni actu intellectionis; ista non semper: etenim si res, quae cognosci debet, cum suo esse physico est vel fit intime praesens potentiae intellectivae ita ut possit hanc per se immediate determinare ad actum intellectionis, liquet nullam amplius superesse necessitatem speciei impressae, h. e. speciei proprie dictae.

nisi solus Deus, qui est in omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam. Impossibile igitur videtur quod substantia separata per essentiam suam intelligatur ab alia, et non per similitudinem eius in ipsa » (S. THOMAS, *Cont. gent.*, lib. II, c. XCIII).

Quaenam sit origo specierum informantium intellectum angelicum. — Origo specierum intelligibilium, et consequenter idearum quibus Angelus intelligit res a se distinctas, nequit eadem esse atque origo specierum idearumque nostrarum: quaenam autem praecise sit disputatur. Communis ac potior sententia refert intellectum angelicum, iam initio suae existentiae, ditatum fuisse speciebus omnium rerum ad quarum cognitionem, natura sua, ordinabatur. Ratio et Scriptura talem sententiam suffulciunt.

THESIS. — *Angeli intelligunt res a se distinctas, sive materiales, sive immateriales, per species illis a Deo infusas.*

Prob. I p. (sive materiales) — I. — Angeli aut ab ipsis rebus materialibus accipiunt species quibus illas cognoscunt, aut a Deo. Primum admitti nequit. Ergo admittendum est alterum.

Prob. min. — Duobus modis intelligi potest haec acceptio specierum ab obiectis materialibus: uno modo, ut ex parte Angeli sit tantum passiva receptio, datio autem sit ex parte obiecti; altero modo, ut Angelus ipse efficiat in se talem speciem, dicatur autem illam ab obiecto accipere, quia non nisi in praesentia illius illam in se formet. Neutro autem ex his modis potest haec acceptio intelligi, aut esse possibilis. — Non priori modo, quia res materialis non potest agere in spiritum, et producere formam seu speciem spirituales, quia est omnino inferioris ordinis. — Non altero modo, nam si Angelus solus speciem in se efficit: — 1) non potest talis species vere dici accepta ab ipso obiecto; — 2) nulla ratio vel conditio potest cogitari, ob quam nunc, potius quam antea vel postea, Angelus efficiat talem speciem, praeter praesentiam rei cuius species effici debet, aut libe-

ram voluntatem Angeli. Sed res materialis, quum fit praesens Angelo, non dat ei occasionem agendi, plus quam quum est distans; voluntas autem Angeli, ut omnis alia voluntas, non fertur in incognitum, scilicet non agit nisi praelucente intellectu, et ideo non potest determinare intellectum angelicum ad eliciendam speciem rei quae, in facta hypothesi, adhuc omnino ignoratur et necessario ignorari debet propter absentiam speciei. Ergo... (Cfr. SUAREZ, *op. cit.*, lib. II, c. VI).

II. — « Substantiae spirituales inferiores, scilicet animae, habent esse affine corpori, in quantum sunt corporum formae; et ideo ex ipso modo essendi competit eis ut a corporibus et per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur; alioquin frustra corporibus unirentur. Substantiae vero superiores, i. e. Angeli, sunt a corporibus totaliter absolutae, immaterialiter et in esse intelligibili subsistentes; et ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura » (S. THOMAS, I. p., q. LV, a. 2).

III. Scriptura ubique significat Angelos fuisse creatos plenos sapientia et decore, sicut de Cherubino dicitur: « *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore: — Perfectus in viis tuis, a die conditionis tuae* » (EZECH. XXVIII, 22). Sed plenitudo scientiae, ait Suarez, extenditur etiam ad materialia obiecta, et sine speciebus esse non potest. Ergo...

Prob. II p. (sive immateriales). — Licet forte possibile sit unum Angelum speciem sui in intellectu alterius imprimere, tamen amplectenda est sententia D. Augustini, D. Thomae, Caietani, Ferrariensis, Suarez, aliorumque scholasticorum maximi nominis. Revera:

1) — Angeli, aut ab ipsis rebus immaterialibus, h. e. ab aliis Angelis, accipiunt species repraesentativas eorum, aut a Deo. Sed primum videtur admitti non posse. Ergo...

Prob. min. — Si unus Angelus potest efficere speciem sui in alio, vel facit illam ex necessitate naturae ad modum agentis naturalis, vel libere ita ut dominium supra ta-

lem efficientiam habeat ». — Prior modus « non videtur admittendus, quia omne agens liberum ex natura sua habet dominium supra omnes actiones, quas extra se facere potest: ita videre licet in Deo, imo etiam in homine, quantum ad omnes actiones transeuntes, quae ab anima, ut rationalis est, procedere possunt: ergo idem sentire debemus de libertate Angelorum ». — « Secundus etiam modus..., esto sit fortasse possibilis, non tamen est sufficiens, ut affirmare possimus omnes Angelos habuisse concreatas aliorum omnium species per efficientiam illorum factas. Nam cum illae libere essent ab omnibus imprimendae, unde constare potest omnes voluntatem illam in primo instanti habuisse? Certe nec per coniecturam potest verisimile fieri; quin potius cum in primo instantis creationis suae Angeli circa seipsos, et circa Deum, et circa totam huius mundi naturalem et pulcherrimam structuram essent suis mentibus intenti, non est verisimile tum omnes de imprimenda in aliis omnibus sui imagine cogitasse ac deliberasse. Addo etiam, cum ante hanc deliberationem nulla supponatur in Angelo aliorum cognitio, vix concipi posse, quomodo habere poterit liberam voluntatem imprimendi aliis speciem sui: nam haec ipsa voluntas ad alios aliquo modo terminatur et non fertur in incognitum; ergo supponit aliquam eorum cognitionem: haec autem sine specie illorum esse non potuit; ergo illa voluntas supponit speciem aliorum Angelorum, cuius oppositum in hac sententia supponitur » (SUAREZ, op. cit. lib. II, c. V).

2) — Si Deus, ut Scriptura S. innuit, ab initio indidit Angelis species rerum omnium, indidit quoque species rerum immaterialium, nam « illae multo magis in ipsis Angelis inter se urgent: tum quia scientia rerum immaterialium excellentior est et propria sapientia, qua Angelus a principio plenus fuisse dicitur...; tum etiam quia cognitio Angelorum inter se est quodammodo ad vitam politicam (ut sic dicam) ipsorum Angelorum et ad mutuam societatem necessaria » (SUAREZ, loco cit.).

Schol. — Cum dicimus Deum Angelis infudisse, una cum natura, species repraesentativas rerum, loquimur de spe-

ciebus rerum ad quarum cognitionem Angeli ex natura sua ordinabantur. Atqui inter res eiusmodi recenseri nequeunt *divina mysteria* et *secreta cordium* seu intellectiones ac volitiones, quas unusquisque occultas apud se continere vult et certis indiciis non prodit. — Non divina mysteria, siquidem ipsa intrinsece participant gradum quasi specificum divinae naturae, ideoque in immensum transcendunt omnem vim intellectivam creatam. — Non secreta cordium, nam:

1) « Angelus, in his actibus, non solum se gerit ut agens morale, et ideo non debentur illi species talium actuum, nisi ut accommodatae et proportionatae ordini morali; ad rectum autem moralem ordinem non fuisset conveniens, ut omnis creatura intellectualis haberet concreatas species omnium actuum liberorum aliarum voluntatum. Sic enim omnes liberi actus singulorum caeteris omnibus noti essent, quod est contra bonum ordinem multitudinis, et societatis personarum rationalium, ... quia inde orirentur odia, et contentiones ac similia: et specialiter daemones acrius possent in homines insaevire, si eorum affectus intime cognoscerent, ut revera possent, si eorum species haberent ».

2) « Rationalis creatura naturaliter appetit occultare actus suos intimos...; ergo non potest connaturaliter postulare id, quod talium actuum occultationi repugnat; sed huiusmodi est habere species concreatas talium actuum: ergo... » (SUAREZ, op. cit. lib. II, cap. XXIV).

Schol. II. — Species intellectivae quas Deus Angelis infudit ab initio:

1) Non solum universalia, sed etiam singularia repraesentare debent. Re sane vera: — a) argumenta, quibus utraque pars thesis probata fuit, valida sunt, sive agatur de universalibus, sive agatur de singularibus; — b) cognitio intellectiva singularium, quam praesertim spectant argumenta praedicta, necessario includit cognitionem universalium. Quomodo enim intellectus cognosceret *hoc* esse ens, *hunc* esse hominem, si non intelligeret universalia *ens*, *hominem*?

2) Species intellectivae Angelorum, cum sint quaedam immediatae Dei participationes, participant eminentiam eius essentiae. Tam vero essentia divina unica ac simplicissima